

culo egit quoque Noster supr. Cap. IV. edit. Græv. *Natura vi rationis hominem conciliat homini, & ad orationis & ad vita societatem.* Nimirum Ratio & Oratio copulant homines, & constituunt fontes Societatis humanæ. Ratio data est nobis, ut societas humana sancte, honeste, secundum rationis recte informatæ dictamina colatur: Oratio data est, ut societas inter homines posset vigere & conservari docendo, discendo, communicando &c. Quam in rem scite Christ. Thomasius Lib. I. Jurispr. Div. *Ratio absq; sermone non est, sermonis extra societatem nullus est usus, nec ratio citra societatem se exerit.* Cap. IV. §. 54. Ac notandum hic, quod Græci una voce τῆ λογῆ, *Rationem & Orationem* complectantur, ut significant, Orationem debere arctissime conjunctam esse cum Ratione sive Sapientia; vicissim & Rationem indigere Oratione, tanquam interprete: ne detur inanis sine mente sonus.

III.

*Neq; ulla re longius absumus a natura ferarum. -- Sunt enim rationis & orationis expertes.* Equidem rebus dotibusque aliis bestię superant homines, ut leones & equi robore corporis, lynces & aquilę visus acrimonia, cervi & cornices longævitate &c. At vero Homo eò nobilior & præstantior est animalibus brutis, quod Rationem habeat & Orationem; quodq; virtutibus proprie sit præditus, cum primis Justitia, Æquitate &c. In brutis simulacra tantum & vestigia virtutum conspiciuntur. Plus itaq; homo homini debet, quàm cani vel eqvo: *homini*, inquam, ut cum quo per vinculum Rationis, Orationis & Virtutum, arctius copulatur. Hinc & M. Antoninus Lib. III. §. 4: Συγγενὲς πᾶν τὸ λογικὸν ἢ κηδεσθαι μὲν πάντων ἀνθρώπων, καὶ τὸ ἔ ἀνθρώπων φύσιν ἐστίν. *Cognatum est rationale omne; & natura ipsius humana ratio ab unoquoq; hoc exigit, ut hominum quorumvis curam habeam.* Gravius Lactantius: *Si ab*